



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 6. Joannes Suavius Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

funere Caroli V. Cæsaris, a quo pluri-
 mi habitus inter Senatores adlegeba-
 tur, eloquentissime perorabat, tum
 vero nondum sacræ militiæ adscriptus
 erat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1566.

§. VI:

Joannes Suavius Cardinalis mortuus.

Tertius erat Joannes Suavius Gallus
 ex Vasconum Provincia in quodam
 Pago Rieumes dicto Anno post Virginis
 partum millesimo quingentesimo tertio
 natus. Hic ob jurisprudentiæ tam sa-
 cræ, quam profanæ eminentiam Rotæ
 Romanæ Auditor, Mirapicensis Epi-
 scopus, ac denique a Paulo IV. gra-
 vissimis negotiis præfectus, Mense De-
 cembri Anno supra millesimum quin-
 gentesimo quinquagesimo quinto Pres-
 byter Cardinalis tit. sancti Joannis ante
 portam latinam nominatus est, quo
 tamen titulo jussu Pii IV. mutato illum
 sanctæ Priscæ obtinuit, atque ab eodem
 Pontifice Inquisitionis Tribunali præ-
 positus sancti Didaci Hispani Canoni-
 zationem promovere jubebatur. Tan-
 dem die vigesima nona septembris An-
 no post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo sexto, postquam
 sexagesimum tertium ætatis suæ an-
 num expleverat, ex calculi doloribus
 Romæ obiit, sepultusque est extra Ec-
 clesiam

Ciacon. t. 3.
 pag. 850.
 Aubery vie
 des Cardin.

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

clesiam sancti Spiritus de Saxia; verum ejus familiaris, ac testamenti executor Scipio Rebiba, qui Cardinalis Pisanus nuncupabatur, ejus corpus ab Ecclesiæ ingressu ad majus altare transferri, marmoreoque sarcophago imponi curavit addito quodam Epitaphio. De hoc Cardinale narratur, quod is quondam, cum adhuc Rotæ Auditor esset, & munere suo fungens civilem causam, ac controversiam in Joannis Petri Cardinalis Carraffæ, postea Pauli IV. favorem juste diremisset, ex ducentis aureis, quos ei hic submiserat, duos tantum retinuerit, atque hujus pecuniæ bajulo dixerit: *Hi duo tantum mihi debentur: reliquos Cardinalis habeat.*

§. VII.

Crispi Cardinalis mors.

Ciacon. t. 3.
pag. 706.
Ughel. Ital.
Sacr.

Quarto loco recensendus venit Tiberius Crispus patria Romanus Pauli III. ante Pontificatum familiaris, ac Constantiæ Farnesiæ frater naturalis, porro is anno a partu Virginis millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo pridie Kalendas Februarii primam lucem aspexit, ac jam in primis juventutis suæ annis animum ad literas ad eo propensum ostendit, ut brevi uberimos eruditionis suæ fructus proferret, nam mira etiam in consiliis inveniendis